



C. 149.



5

BK 1451

AD

ORATIVNCVLAS VI

IN SCHOLA THOMANA

D. XXVI. APRIL. A. C. MDCCXLV

HORA IX MATVINA

AVDIENDAS

PATRONOS ET FAVTORES

INVITAT

ET DE

RITVVM ANTIQVORVM
FONTIBVS

DISSERIT

M. IO. FRIDERICVS LEISNERVS

RECTOR

LIP S I A E

EX OFFICINA LOEPERIA



ORATIONES

Superioribus duabus prolusionibus ostendere conati sumus, quam facile aberretur ab illis legibus, quas ratio non minus antiquorum rituum indagatoribus indixit, quam scriptoribus historiarum. Id quod argumentum quum ita tractauerimus, vt quaedam ad illius explicationem pertinentia supersint; eidem etiam nunc paullisper immorari iuvat, ac tangere illas leges, quae ad fontes, vnde hauriantur veterum ritus, pertinent. Quicumque historici adferre rebus, quas narrant, fidem volunt, horum est eas res narrare, quibus gerendis aut adfuerunt ipsi, aut quarum veritas nititur eorum testimonio qui auctoritatem et fidem habent. Quemadmodum vero huius generis historici facillime assensum nostrum eliciunt, ita illis rituum antiquorum inuestigatoribus quilibet haud grauatim credit, qui ritus quosdam moresque receptos fuisse ipsi sentiendo experti sunt. Quis ea in dubium reuocet, quae Herodianus in praeclara illa *περὶ τῶν βασιλέων* IV, 2. aut Dio Cassius LVI. tradunt de imperatoris Romani consecratione, de imagine cerea per VII. dies in vestibulo regiae ostentata, deinde e regia in forum, e foro in campum Martium lata, de suggestu in modum Phari extructo, lectoque funebri in eum sublato, de aromatibus aggestis, de decursionibus, de accenso suggestu, de emissâ denique ex superiore eius parte aquila. Horum enim omnium et Herodianus et Dio sunt testes oculati. Similiter quoties ludi celebrarentur seculares, et vrbe et tota Italia praecones itasse, qui convocarent homines ad ludos, quos nec ante vidissent, nec postmodo visuri essent, hoc vero citra peccandi metum credere Herodiano potes, vtpote qui has praeconum voces vel audierat ipse, vel de illis a locupletibus auctoribus acceperat. III, 8. §. 17. Cuius generis sunt, quae de festiuitate, qua Kalendae Ianuariae apud Romanos celebrari solebant, apud eundem leguntur: item, quae de pompa matri Deum, ineunte vere, celebrata I, 10, 11. ac de praelato igni, honore augustali, passim.

Sed quum scriptores sint pauci, qui de ritibus exponant, quos non possunt non scire; saepe etiam consulendi sunt, qui res, quas persequuntur, nec gesserunt ipsi, nec iis adfuerunt, sed quos constat

stat aut verisimile est, ex fontibus veritatis certis, quicquid tradunt, hausisse. A cuius officii religione quam saepe declinetur, facile intelligit, quicumque perpenderit, vt fides et auctoritas moribus, ritibus, et opinionibus priscorum populorum adiungatur, nunc a versionibus auxilium peti, nunc a Scholiastis, nunc à numis et statuis, nunc a libris corruptis, nec emendatis, nunc a locis auctorum, explanatione interpretum a veritate detortis, nunc a locis recte quidem intellectis, sed unde aliquid efficitur, quod salva dialectices lege effici nequit.

Si me versionibus fidere iubes, mihi non difficile erit, docere, et opiniones et mores fuisse vetustati, a quibus multo fuit alienissima. Phoenicem esse vnam auem in toto orbe, nec visam magnopere, auctor est Plinius X, 2. Hac aetate nemo est tam credulus, quin Phoenicem in eam auium classem reiiciat, in qua sunt harpyiae, grypes, aliaque animalia fabulosa. Sed latinus Plutarchi interpretes te facile in eam opinionem induxerit, vt credas, non modo fuisse Phoenicem, sed et cerebellum eius fuisse in cibis. In libro, qui inscribitur *ὕμναι παραγγέλματα*, seu praecepta sanitati tuendae p. 133. quum scribit Plutarchus, τὸν μὲν ἐγκέφαλον τοῦ Φοίνικος γλυκὺν ἔντα σφόδρα, κεφαλαλγὸν λέγουσιν εἶναι: interpretes sic: *cerebrum Phoenicis admodum dulce est, sed dolores capitis inducere fertur.* Noli mirari, cur nemo nec hac, nec huic proximis aetatibus fuerit, qui auem istam viderit. Improbata catillonum gula eam ex rerum natura exterminauit. Sed extra iocum! Quod Plutarchus de medulla palmae, arboris, dixit, id de phoenice, aue, interpretes accepit, non ab similibus Tertulliano, qui verba Dauidis Pf. XCI, 13. *Δίκαιος ὡς Φοίνιξ ἰνὴ θήσει* itidem non de arbore, sed de aue, interpretanda putauit vid. Reines. V. L. II, 9. p. 203. sq. Versionis Bibliorum Alexandrinae ob multas causas magna est auctoritas; nihilominus et ea ipsa te adducat, vt credas, Iudaeis et Dauidi ipsi talem opinionem fuisse de daemonibus meridie potissimum infestis, qualis et nunc est alicubi imperitae plebeculae, et olim fuit pastoris Theocritiani Idyll. I, 16. quum legis Pf. XC, 5. 6. *Ὁυ φοβηθήσῃ ἀπὸ συμπτώματος καὶ δαιμονίου μεσημβρινῆς.* v. Scaligeri epistola ad Seguinum I, 9. p. 86. Quanto in periculo sint errandi, qui versionibus nimis confidunt, hinc apparet. Sed quanta cautione opus est versiones legenti antiquitatis stu-

diſo, tantam requirit etiam lectio ſcholiaſtarum. Qui animum non intenderit ad cauendum, etiam ab his induci poterit in fraudem. Ad Horat. I. Ep. 10, 10.

Vtque ſacerdotis fugitiuus liba reuſo:

ad hunc, inquam, verſum haec habet Acron Fabricianus: *cum in ſeruis ſuſpicio furti habetur, ducunt ad ſacerdotem, qui cruſtum panis carmine infectum dat ſingulis, quod quum ederint, manifeſte furti reum aſſerit.* Satis patet hoc ſcholion verba facere de ordalio per euchariftiam probandae innocentiae. Sed et illud ſatis patet, idem ſcholion nihil ad explicandum Horatium valere, ordaliumque iſtud non eſſe tam antiquum, vt de eo vel Acron loqui, vel Horatius cogitare potuerit. Itaque multa ſcholia, quae Acronis dicuntur vel a Chriſtiano quodam homine conſcripta, vel certe interpolata credibile eſt. Hoc idem de aliis, nominatim de Sophoclis ſcholiis dicendum eſſe concedent, quicumque legerint, quae tradit Scholiaſtes ad Aiac. Flagellif. 939. Cogitando praefentio, futuros eſſe, qui mihi hoc dent, ritum innocentiae per euchariftiam probandae non eſſe tam antiquum, interim ſtatuant; ritum illi ſimilem, de quo Acron Fabricianus loqui videatur, in uſu eſſe potuiſſe. Me quidem non fugit, ex Sophoclis Antigone 270. conſtare, conſueſſe nonnullos innocentiam ſuam demonſtrare geſtando ferro candenti, et hanc conſuetudinem eſſe Chriſtiana religione multo antiquiorem; intelligo tamen, quomodo, qui ignem eſſe Deum credebant, perſuadere ſibi potuerint, hunc Deum rite imploratum innocenti parcere, nocentem laedere poſſe; ſed qui ſibi perſuadere potuerint, cruſtum panis, carmenque, quod praefari ſacerdos ſolebat, priuſquam panis fumeretur, hanc vim habere, vt prout aliquis ſcleris purus vel eſſet vel non eſſet, ita vel maneret illaeſus, vel non maneret, hoc nondum intelligo. More receptum fuiſſe laminas candentes tangere ad innocentiam probandam, verba Sophoclis diſerte docent: ſed quo auctore praeter Scholiaſten probabimus, panis cruſtum carmine infectum inferuiſſe explorandae eorum, qui furti ſuſpecti eſſent, innocentiae?

Venio ad numos et ſtatuas. Has quia ſaepe tempus, ſaepe caſus aliquis truncas, et parte membrorum mutilas reddidit, inuenti ſunt artifices, quorum male ſedula manus eas ad priſtinam ſimilitudinem

nem non modo reficere tentaret, sed etiam additamentis quibusdam ornare, si id est ornare, addere statuae aliquid, quod conuenire ei nullo pacto potest. Viderunt Addisonus et Winkelmannus Florentiae icunculam Apollinis aeream, gestantis manu instrumentum aliquod musicum tetrachordum, quod media aetas nunc vidulam, nunc vitulam, nunc viellam, nunc fiolam vocavit, hodie quidam peperam panduram dicunt, quippe quae non quatuor, sed tribus duntaxat neruis tenditur Pollux IV, 60. Icuncula illa ipsa est antiquitatis haud dubiae. Sed si quis est, qui tantae antiquitatis etiam additum illud tetrachordum putet, is citra controuersiam fallitur. Winkelmannus certe nihil dubitat, additamentum istud esse recens. I nunc et puta, statuas tibi adiumento fore, istorum instrumentorum antiquitatem probaturo!

Venio ad numos, qui quantis erroribus occasionem et dare possint, et saepe dederint, quia adulterini sunt, et miro artificio et ad occultandam fraudem apto vel constati vel percussi; demonstrant et alii, et Car. Patinus Introd. ad Histor. numism. c. XX. Characteres numerorum, qualibus nunc utimur, sub finem decimi seculi ab Arabibus Latinos Christianos accepisse, et opera Gerberti Floriacensis primum in Gallia, mox in Italia Germaniaque innotuisse, certo constat. Constat etiam, non eiusdem formae fuisse, cuius sunt ii, quos postea usus recepit. Denique illud constat, Graecis illos numerorum characteres vix usurpatos esse, quippe quorum libri paullo ante et post euersionem imperii Constantinopolitani, conscripti, non his peregrinis characteribus, sed graecis literis concepti sunt. Itaque numum argenteum Marquardi Freheri recte in adulterinis ponit Iustus Iosephus Scaliger III. ep. 133. cuius aduersa exhibet Constantinum Palaeologum equo insidentem infra quem characteres arithmetici 234. comparent. Si qui ergo sunt, qui isto tempore istas numerorum notas apud graecos vulgatas fuisse contendant, horum sententiam numus iste nihil adiunabit.

Nunc dicendum aliquid est de locis auctorum corruptis, quibus et historici nonnunquam et rituum antiquorum indagatores ita in transfuersum aguntur, vt et res gestas fingant, et ritus commentitios adferant. Cloydius Thrasymachum Carthaginensem fuisse tradit Sophistam, Iocratis discipulum qui primus periodon et colon monstravit. Miraris so-

phistam Carthaginensem, eumque discipulum praeceptoris graeci barbarum, et egregii artificii oratorii repertorem, quem de natura rerum scripsisse Cicero testatur, item primum cum Gorgia arte quadam verba vinxisse? Miror et ipse. Sed ne quis plus iusto admirationi indulgeat, dicam, eum quidem Carthaginensem dici apud Philostratum Sophist. 14. quem sequuntur interpretes Iuuenalis ad Sat. VII, 204. sed iocum esse corruptum, et pro Καρχηδόσιον scripsisse recte Olearium Χαλκηδόσιον, sicut scribendum esse etiam docent Iónsius de Scriptor. Hist. philos. I, 10, 5. et Cresollus Theatr. Rhet. I, 6. p. 45. Similiter ex deprauatis auctorum locis si quis me ritus et mores veterum eruere iubebit, docebo, aliqua recepta vsu fuisse, quorum fidem facere paucis possim. Institutionem puerorum apud Lacedaemonios fuisse valde rigidam et seueram, saepeque cum atroci castigatione coniunctam: ipsos infantes recens natos expertos hanc disciplinae laconicae feueritatem, nullis inuolucris illigatos, solutos semper et nudos, educatos denique ita, vt facili et parabili victu vterentur, vt ieiunia ferrent, nec ad tenebras, nec in solitudine trepidarent, multa molesta, multa aspera identidem subirent, nec tamen villos vagitus, ploratusque pueriles ederent; hoc facile credas, seu rigidos gentis mores respicias, seu auctoritatem historicorum disertis verbis id testantium. Eadem de causa nec assensum tuum illis negaueris, qui pueros scribunt, quotannis per totum diem ad Dianae Orthiae aram flagellis coesos, hilares verbera etiam mortis periculum habentia, tolerasse, atque vt quisque diutissime flagella pati posset, ita sibi maxime in hac patientia placuisse. Sed quam facile in animum induces, vt haec omnia pronis auribus accipias, et praeterea credas, paedagogorum iram nunc tristibus ferulis, nunc flagellis, nunc virgis in manus, in tergum, in latus saeuuisse; tam difficulter a te impetrabis, vt existimes discipulos in respondendo inertes *δηγμα εἰς ἀντιχειρα ὑπὸ ἔργου* morsum in pollice ab irene h. e. puerorum praefecto, accepisse, vt legere est apud Plutarchum in Lycurgo p. 51. Illud *δηγμα* merito suspectum est Reinesio V. L. III, 5. qui pro eo substituendum, legendumque putat *πλήγμα*. Ictu flagri vel bacilli percussos puerorum fuisse pollices, a Laconum plagosorum moribus non abhorret: at morsus ad castigandos pueros receptos quis sibi persuadeat?

Locī

Loci etiam male intellecti, interpretandoque deprauati, et in alienum sensum detorti interdum locum faciunt nunc ritibus ex toto fictis, nunc a mente scriptoris alienis. Propertius II, 18, 59. sq. suam Cynthiam queritur esse munusculorum nimis auidam: ea, inquit, sibi emi iubet et adferri nunc pretiosa et delicata flabella, nunc alia *ψυχροπονητικά* seu *ἀλεξιναιύματα*. Verba poetae sunt:

Et modo pauonis caudae flabella superbae,

Et manibus dura frigus habere pila.

Et cupit iratum talos me poscere eburnos etc.

Passeratius secundum versum ad pilam lusoriam refert, et ex Virgilio Ceiri v. 149. colligit, pila etiam puellas lustrasse. Sed si puellas quasunque intelligit, graecas Romanasue, male colligit. Aienti enim et Romanas et graecas puellas pila lustrasse, *diuide sententiam*, continuo occinam, alteram partem probaturus, alteram reiecturus. Apud Virgilium pila ludit Scylla, virgo graeca: apud Homerum Nausicaa Od. VI. 100. itidem virgo graeca: apud Propertium III, 12. Laetaenae, et ipsae virgines graecae. Sed Romanae puellae, seu quod modestiores essent, seu alia de causa, pilae lusu carebant, id quod non obscure significat Ovidius A. A. III, 381. sq. Propertius in loco superiore pilae lulum respicere non potuit, quum quia verba facit de sua Cynthia, puella Romana, tum quia locum recte ponderanti satis intelligere licebit, poetae menti obuersatum fere tale quiddam fuisse, quale est flabellum h. e. aliquid refrigerandi vim habens. Veteres ut se contra aestum defenderent, non modo utebantur umbraculis fornicatis, *σινιδίσις*, flabellis *ἐπιπίδις*, aquis salientibus, cibo potuque refrigerandi vim habente, sed etiam pila crystallina, quam feminae manibus versare aestiuo tempore solebant, et forte etiam succinis, quae praeterquam quod frigus insitum, etiam odoris suauitas commendabat. Atque de ista pila ex crystallo exposuerat Propertii locum Beroaldus, sed quum nullum laudasset auctorem, improbandam hanc interpretationem putauit Passeratius, forte veritus, ne ritum ex toto fictum admitteret. Sed quis quaeso omnia legit, quis omnia lecta memoria tenet, quis denique ritus, qui semel tantum in libris veterum occurrunt, reiciendos putat? Est apud ipsum Propertium locus, IV, 3, 52. qui ad confirmandam Beroaldi interpretationem videatur posse adferri:

Sed mihi quo, Poenis si purpura fulgeat ostris,
Crystallusque suas ornet aquosa manus,

Arethusa

Arethusa puella, quam loquentem poeta facit, hoc sibi vult, si virum doctissimum, Ianum Broukhusum sequare: *quid mihi prodest, tunnicam purpuream habere, quid, pilam crystallinam manu tenere?* Sed duo sunt, quae huic explicationi repugnare videantur, iudice Vulpio: alterum, quod Arethusa hanc epistolam scripsit hieme, vt satis indicat versus 42. huius elegiae; pila autem crystallina non hieme, sed aestate ad leniendum calorem manuum vsae sunt puellae Romanae: alterum, quod annulus quidem recte dicitur ornare manus, at non aequae recte pila crystallina. Erunt igitur, quibus magis eorum explicatio placeat, qui crystallum aquosam accipiunt de annulo, cui vel crystallus vel alia gemma crystallo similis esset inserta.

Sed nihil euentius docet, locos non recte intellectos parere ritus fictos; quam locus Horatii Ep. I, i. 54.

O ciues, ciues, quaerenda pecunia primum est,

Virtus post numos: haec Ianus summus ab imo

Prodocet, haec recinunt iuuenes distata, senesque.

et II. Sat. 3. 18. sq. Fuere enim, qui Ianos tres hinc sibi fingerent, summum, medium, imum. Finxit certe Cruquii Scholiastes, et nonnulli eum interpretes sequuti sunt. Sed vnum fuisse vicum Iani nomine insignitum: et Ianum summum ad imum esse totum, vniuersum: medium porro Ianum eodem modo dici, quo media mulier apud Terentium, Bentleius docet. Etiam Gesnerus non iniuria veretur, vt recte sese, quae Scholia tradunt, habeant.

Structura interdum orationis et ordo verborum artificialis habet ambiguitatis aliquid, quae mentem interpretum aut oscitantium aut male festinantium ita praefringit, vt inde morem aliquem ritumque extundant, cuius ne per somnium quidem in mentem venit auctori. Ouidius Trist. II, 358. de Hippodamia Pisarum regis filia, et de Pelope Tantalida, qui Hippodamiae nuptiis potitus est, loquitur:

Quid? non Tantalides, agitante Cupidine currus,

Pisaeam Phrygiis vexit eburnus equis?

Quorsum vox *eburnus* referenda sit, vtrum ad *Tantalides*, an ad *currus*, non difficile est explicare. Haud dubie Tantalides dicitur eburnus, sicut apud Virgil. Georg. III, 7.

Hippodameque, humeroque Pelops insignis eburno.

Interim Ciofanus *τὸ eburnus* et *τὸ carrus* iungenda putauit, et sibi moris veteris vestigium videre visus est, vbi nullum est. Nam ad locum poetae is ita: *Currus eburnus* triumphalis currus ex ebore fit

cut

cut apud Tib. I, 8. Multi poetae Hippodamiam peregrino, hoc est, Phrygio curru auctam tradunt, sed currus eburni nusquam mentionem faciunt. Propert. I, 2:

Nec Phrygium falso traxit candore maritum,
Auecta externis Hippodamia rotis.

conf. Ouid. Her. VIII, 70. A. A. II, 7.

Quid multa? Qui in Ouidiano disticho currus et eburnus iungunt, hi reliqua verba explicare non poterunt. Cerebrofi magistri excandescunt, ac interdum nec verbis nec manibus temperant, ubi discipuli hebetiores huiuscemodi quiddam admittunt, quum talia vel doctissimis viris excidant. Iuuenalis Sat. VI, 102 sq. inuehitur in Hippiam Sergii ludii, seu gladiatoris, nec aetate, nec forma florentis adulteram:

Qua tamen exarsit forma, qua capta iuuenta,
Hippia? quid vidit, propter quod ludia dici
Sustinuit? Nam Sergiolus iam radere guttur
Cooperat, et festo requiem sperare lacerto.

Vltima verba interpretes fere omnes ita accipiunt, vt Sergium dicant ab aliquo gladiatore ictu recepto mutilatum sperasse missionem. At Ianus Broukhufius ad Tibulli I, 7. ex hoc Iuuenalis loco putat doceri posse, gladiatores post missionem factos esse Bellonarios, quos constet, non alieno sed suo cruore, sacrificasse Bellonae, et in sua brachia gladiis, cultris, lanceolis saeviisse, donec perfunderentur sanguine. Quid ergo est? Satis apparet, Broukhufio illud *festo lacerto* esse casum sextum: ceteris interpretibus tertium. Sed hi plures subscriptores approbatoresque, quam ille, habituri sunt, probatque eos, reiecta Broukhufii explicatione, ad Tibullum Vulpium. Sed nihil facilius locum dat fingendis institutis factisque, quam ambiguitas dictorum. Sunt mythologi, qui Venerem quandam Syriae et Tyri filiam fuisse tradant, freti Ciceronis testimonio de N. D. III, 59: ubi de quatuor Veneribus verba facit, quartamque Syriam ait esse, Tyroque conceptam, eamque Astarten vocari, et Adonidi nupsisse. Sed mihi nec Syria esse nomen matris, nec Tyrus patris, quo Venus prognata dicitur esse, videtur. Syriam accipe pro nomine patriae: Tyro autem (non Tyrum) pro nomine matris. Apagesis igitur e veteri seu historia, seu mythologia, Venerem istam, Syriae Tyrique filiam, et adde mulieribus illis et heroidibus, quibus nomen Tyro, Veneris etiam Syriae matrem. Sed ambiguitas non modo hoc habet, ut figmenta pariat, sed etiam impedimento est, quo minus veri ritus, ad

B

quos

quos auctores respiciunt, cernantur. Quum Propertius II, 24. 1. scribit:

Tristia iam redeunt iterum solemnia nobis:

Cynthia iam noctes est operata decem;

eius menti verus ritus obuerfatur, quem obseruare mulieres solebant sacra Cereri vel Ifidi facturae. Harum scilicet erat, noctes aliquot in casto esse, et secubare procul a virorum complexibus. Cynthia autem in Propertii isto loco est haud dubie poetae amica, ficto nempe nomine Cynthia, vero Hostia dicta. Sed ritus illius quo pacto in mentem venire poterit illis, qui cum Fabro in Lexico Cynthiam accipiunt de Luna, et hanc noctes operari dicunt tum, quum opus suum facit, hoc est, quum noctu lucet?

Sed de his plus satis. Quae restant, nescio an sint grauiora. Qui vel versionibus vel Scholiastis, vel numis vel statuis, vel denique locis corruptis decepti peccant, habent aliquid excusationis, et culpam erroris in alios reuicere possunt. At quid excusandi sui causa dicere, in quem culpam conferre poterunt illi, qui male ratiocinando fictos ritus comminiscuntur? Alexander Sardus de Moribus gentium I, 15, scribit, Romanis meretricibus concubitus pretium fuisse quadrantem, et inde fortasse quadrantariam dictam a Cicerone Clodiam. Sed si hic mos fuit meretricum omnium, cur Festus et Plautus mentionem faciunt meretricum diobolarium? cur ista turpiculo puella naso, decoctoris amica Formiani, Catullum millia decem poscit, hoc est, circiter CCC. vallenses? Catull. XLI. cur denique apud Martialem Venus constare dicitur nunc vno asse, nunc gemino? Martial. I, 104. II, 53. Caligula apud Suetonium XL. foedissimum vestigal instituit et exercuit, quo ex capturis prostituerarum, quantum quaeque vno concubitu mereret, exigeretur. Non scribit historicus, quadrantem fuisse exactum, sed quantum quaeque mereret. Meruisse autem alias aliis plus verisimile est. Geminus huic error eorum est, qui hunc morem Graecis fuisse tradunt, vt septendecim diebus cadauera, antequam cremarentur, totidemque noctibus feruarent. Interrogati enim, quonam argumento hanc suam sententiam corroborandam putent, aut nihil habituri videntur, quod respondeant, aut exemplum Achillis allaturi, quem Homerus Odyss. ultimo canit post obitum XVII. diebus et noctibus totidem desertum, et XVIII. die fuisse crematum. Sed quod in lugendo Achille, sepeliendoque a Graecis obseruatum fuit, id vulgari more receptum fuisse, nisi

nisi id aliunde demonstretur, cui quaeso persuaseris? v. Alexander ab Alex. D. G. III, 7. et Kirchmannus de Fun. Rom. II, 1. Videntur non pauca huius generis, aut semel aut raro, ab vno vel paucis hominibus obseruata inter ritus irrepfisse et mores populorum v. c. quae de Sybaritarum moribus apud Athenaeum et alios leguntur. Incidunt in hunc errorem, qui ex eo, quod hic et nunc factum est, colligunt, aliquid vbique et semper factum esse. Sed quum apud Platonem caput obuelat Socrates de re verba facturus, quae turpícula videri posset; quis ferat inde colligentem, veteres operuisse faciem, quoties de rebus turpibus loquerentur, aut v. c. Ciceronem oculos faciemque cooperuisse, vt pudore velut posito vel Clodio, vel Pisoni, vel Antonio nefanda flagitia obiicere posset. Itaque nec aequo animo feras Iungermannum, qui ad Pollucem III, 3. 42 ex loco Achillis Tatii II. p. 85 concludit, faces nuptiales a patre fuisse accensas. Apud Tatium pater per quietem sibi videtur faces illas accendere. Sed alii scriptores fere semper eas a matre accensas restantur, tanquam Eurip. Phoeniss. 346. Schraderi sententia in Animaduersionibus ad Musaeum cap. XX. p. 353 non improbabitur fortasse doctis viris, officium illud nuptiale vetustissimis temporibus a matribus fuisse praestitum, postea deuenisse ad patres, iudicantis. Addit, rituum mutatorum exempla non deesse.

Pergo ad aliud genus eorum, quos ratio fugere in ratiocinando videtur. Ritus circumcisionis apud antiquissimos tam Ebraeos, quam Aegyptios receptum fuisse, notissimum est. Dubium vero controuersumque est, acceperintne hunc ritum ab Ebraeis Aegyptii, an ab Aegyptiis Ebraei? Spencerus huius moris primos auctores Aegyptios putat: reliqui fere omnes ab Ebraeis ad Aegyptios deriuatum contendunt. Spencerum errare certum est: sed fortasse et altera pars errat. Id quod vt facilius intelligas, ita cogites quaeso: aut Aegyptii illum ritum ab Ebraeis, aut Ebraei ab Aegyptiis acceperunt. Videbis, hic tertium locum habere posse et aequè verum esse, et ritum circumcisionis ab iisdem auctoribus et ad Aegyptios et ad Ebraeos manare potuisse. Quam rem fusius tractat Pluche in libro, quem inscripsit Histoire du Ciel T. I. ch. 1. §. 1; vbi id agit, vt originem inuestiget rituum omnibus populis communium.

Iam quam lege ratiocinandi se tuebuntur, qui ex Ciceronis loco Phil. II, 18. colligunt, non licuisse olim in domum alienam

6
submitti per tegulam. Ciceronis de Antonio, quem olim Curio turpiter amat, verba facientis hic locus est: *Quoties te pater eius domo sua eiecit? quoties custodes posuit, ne limen intrares, quum tamen tu, nocte socia, hortante libidine, cogente mercede, per tegulas demittereris.* Quando Baronius Annal. a. XXXII. n. 70. hunc Ciceronis locum documento esse scribit, veteres magno vitio vertisse, in domum alienam submitti per tegulas; Casaubonus se splenis petulantiam cohibere potuisse negat haec legentem. Neque intempestius aut abhorrens hic cuiusquam risus esse potest. Quum Cicero ibi Antonium reprehendit, non modum spectat, quo alienam domum ingressus est, sed consilium. Fac alio, eoque honesto consilio per tegulas in Curionis domum introisse Antonium, an oratori futurum putamus fuisse, cur id vituperaret? Quot autem honestae causae excogitari possunt, quae alicui necessitatem imponant, alienam domum nunc per tegulas, nunc per fenestras, nunc alia ratione aditu ad eam patefacto, ingrediendi? Quid? si nocturni fures aedes tuas irruperint, si te, et quicquid tibi est domesticorum, manibus pedibusque constrinxerint, si porro expilatis omnibus, clausis foribus et diligenter oppellulatis, per funem ex fenestris demissum delapsi te reliquerint gementem, et vicinorum praetereuntiumque opem vociferatione lamentabili implorantem: si tunc ad vincula tibi adimenda, opemque ferendam, per tegulas in domum tuam me demittam, nulla alia parte aditu patente, tu vero id maximo mihi vitio vertes? Sunt, qui igne tecta vrant, qui medicina hominibus salutem eripiant, qui ense praecingantur, vt insidias parent. Num ergo vitio vertendum, igne vti, medicinam facere, ense praecingi?

Sed finis tandem scriptionis huius faciendus, et nobis ea pietate, eaque obseruantia, quae potest esse maxima, rogandi sunt patroni et fautores scholae Thomanae, vt audiendis nonnullis oratiunculis vacare velint, quibus aliquot nostrae disciplinae alumni *de varia literarum artiumque fortuna* dicent. Dicent autem

IO. FRIDERICVS LAVBIVS, *Altenburgerfsis.*
IO. FRIDERICVS FVNKIVS, *Graecio Varisc.*
IO. ANTONIVS SCHIVAN, *Lipsiensis.*
HENR. GODOFREDVS SCHNIGELIVS, *Neostadiensis.*
CHRISTIAN. FRIDERICVS SPOERKIVS, *Hohenstein. Misn.*
CHRISTIAN. GOTTLOB SCHELLERVS, *Cizensis.*

Hos igitur vt audire velint, suaque praesentia etiam ceterorum ingenia discipulorum excitare patroni nostri et fautores, et nostro et eorum, qui dicturi sunt, nomine rogamus.





G. 670-8

VD18

ULB Halle
008 902 275

3



ne





5

AD BK 1451

ORATIVNCVLAS VI
IN SCHOLA THOMANA

D. XXVI. APRIL. A. C. CIOIO CCLXV

HORA IX MATVTINA

AVDIENDAS

PATRONOS ET FAVTORES

INVITAT

ET DE

M ANTIQVORVM
ONTIBVS

DISSERIT
DERICVS LEISNERVS

RECTOR

LIP SIAE

FIGINA LOEPERIA

